

turbato mari vebitur; tunc admirante nullo, illaudatus, in gloriis subit portum; at cum strident funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & Diis maris proximus.

35 Et ad hanc laudem & gloriam, quam Regii, ac Magnanimi viri consequi solent, dum se exque patientes, ac prudentes in adversitatibus habent, non inepte allusit ille, qui Mare ventis exagatum pro Symbolo sumsit, cum tunc ejus undæ, quod magis perturbari videntur, eo magis extollantur, & veluti in colum, turbationis ac patientia sua præmium peituræ, descendant. Quod & ipsum, docente Seneca (n), mirè solet hoc spectaculo delectari, & bonos viros, ut confirmantur, concutere, simul tam men vires impertens, quibus concessionis obsistere possit, ut in arboribus contingere solent; quarum Nulla est (inquit) solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat, ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit. Fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt.

36 Qua etiam comparatione D. Chris. (o) in eamdem rem uitit, & ex illa Joachimus Camer. (p) hoc Emblema deduxit.

Ventorum adversis solidatur flatibus arbor:

A cruce, & à precibus mens pia robur habet.

Addens ex Sophocle, virorum fortium pectus numquam languescere, & ex Pericle apud Thucydidem, eos optimos viros esse, qui in calamitatibus animo non tristantur; sed re ipsa & operibus maximè obsistunt.

37 Noster quoque nuperus politissimus Politicus Saavedra (q), in eamdem rem plura in locis pluribus tradit, & Lunæ similitudine utens, qua etiam ubi Solis radiis deficitur, ei terga non verit, sed in ipsum potius alacrior respiciens, ab eodem iterum plenitudinem sui splendoris expectat, sic addit: Tenga, pues, el Principe siempre fijo su Cetro, mirando á la virtud en la Fortuna próspera y adversa, porque en premio de su constancia el mismo Sol divino que, ó por ejercicio del merito, permitió su menguante, no retirará de todo punto su luz, y volverá á acrecentar con ella su grandeza.

38 Hujus autem constantie, & æquanimitatis nobile exemplum, Cicero (r), nobis in magno illo Philosopho Socrate scriptum reliquit, qui semper hilari ac latè vultu in adversis rebus, ut in prosperis extitit. Idemque, in Tito Anno Milone (s) commendat, in gravi, ac difficulti tempore vultum semper eundem, & vocem, & orationem stabilem, non mutatam; ejusque infractum & excelsum animum laudat. Livius (t) quoque inter præcipias Scipionis laudes enumerat, quod tametsi in Hispaniensi bello plura fuerit adversa perpessus, nullum tamen ei unquam ferox verbum exciderit.

39 Et Cato Minor, ita in eadem virtute resplenduit, ut recensente Plutarcho (u) etiam à Cæsare victus, se tamquam illius victorem haberet. Qui & idem apud Lucanum (x), à Labieno rogatus, ut de sua Fortuna Oraculum Hammonis consularet, ita respondit:

Quid queri Labiene jubes? an liber in armi

Occubuisse velim, potius quā regna videre?

An sit vita nihil, sed longa differat ætas?

An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat

Opposita virtute minas? Laudandaque velle

Sit satis, & numquam successu crescat honestus?

Scimus, & hoc nobis non altius inferet Hammon, &c.

40 Nostrum etiam Regem Alfonsum VI. ab eadem Tolerantia nostri Auctores (y) valde commendant. Quam quæ Witiza non habuit, in impia verba & facta protupisse narratur, Deo usque Vicario reverentia, & obedientia derrata.

41 Similemque animi dejectionem, & consternationem in Carolo Burgundia Duce acriter reprehendit Cominæs (z), quod ad Gransonum re infociliter gesto contristatus, in ægritudinem incidit, solitariusque relinquì voluit, & per hunc morbum ei plurimum mentis, & ingenii decessit. Subjicitque idem Scriptor: In hoc rerum statu, primum esse, ut ad Deum configiamus, & peccatis veniam precemur, alterum ut ex amicis, quibus plurimum fidimus, nos patefaciamus totos: & animi vulnus, quo affligimur, denudemus.

42 Cui ego aliud etiam pharmacum ex Senec. (a) addo, scilicet, ut qui in multis magisque versantur, animum quoque ad multas ac magnas Fortunæ vicisitudines paratum habeant: Tela quippè prævisa minùs feriunt, vimque aifert præsentibus malis, qui futura prospexit, & necesse est levius ad animum pervenire, destinatæ cupiditatis dolorem, cui successum non utique promiseris. Gravis ipsa Fortuna est, quibus est repentina: facile sustinere eam potest, qui semper expectat.

43 Quid & Cato (b) non in eleganter hoc Disticho clausit:

Prospice, qui veniant, hos casus esse ferendos, Nam levius sævit, quicquid prævideris ante. Atque hæc haec tenus de nostro Tesserarum ludo dixisse sufficiat, longè tamen diverso fine, quo ei Vителium Cassarem incubuisse Philostratus (c) narrat, inquiens, quod tesseris ludere numquam cessabat, semper timens ne talorum iactus ipsum falleret, & inter ludum de maximis Imperii rebus, utecumque sors tulerit, disponebat. Soli enim Jovis tali semper feliciter cadunt, ut vetus habet Adagium (d), de cuius sensu & usu Erasm. consulere poteris.

EM-

(m) Petrasanta in symbol. lib. 1. pag. 59.

(n) Senec. d. lib. de provid. per tot. præcipue d. cap. 4.

(o) D. Chrysost. hom. 73. in Genes.

(p) Joach. Camer. cent. 1. Emblem. 17.

(q) Saaved. in Idæs pro lit. pag. 115. 224. 231. 245.

(r) Cic. 3. Tusc. & 1. de off. Agell. lib. 2. cap. 2.

(s) Cic. in orat. pro Milone.

(t) Livius lib. 49.

(u) Plut. in Carmin.

(x) Lucan. lib. 9.

(y) Saav. pag. 245. Rod. lib. 3. cap. 15. Rib. in Princeps. lib. 2. c. 15. Mar. lib. 6. c. 19. M. Mont. lib. 1. c. 4.

(z) Com. lib. 7. pag. mihi 536.


(a) Sen. de Cons. ad Marc. c. 9. & de Tranq. anim. c. 13.

(b) Cato in Distich. lib. 2.

(c) Philost. de vita Apollon. lib. 5.

(d) Erasm. in hoc Adag. pag. 99.

CONSULENDUM IN ARDUIS.



Consilio meliore viget Saturnius Heros.

Fulmina dum vibrat, non nisi ducta Diis.

Sic Regni cui fama Polo conscriperit arcem,

Consulat & doctos, dum parat alta, viros.

COMMENTARIUS.

I Otum est Sphingem, triforme monstrum, facie puellaris, alas volucris, & pedibus leoninis, à priscis fuisse confictum. Unde illud Ausonii (a):



Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo, triformis
Sphinx; Volucris pennis, pedibus Fera, fronte Puella.

Qua figura Ægyptii (docente, præter plures alios, Synesio (b) conjunctio-
nem virtutum Fortitudinis, & Prudentiae significare, dum ferina species robur repre-
sentabat, humana prudentiam, & volucris, hæc per se non sufficere, nisi & ingenium & con-
silia adsit, quod sciat harum virtutum operationem pro tempore loco dirigere, & veluti
manus, atque alas his, quæ exequi convenit, administrare.

2 Quapropter Prudentia & Fortitudinis Moniti, de quibus egimus, præsens hoc, quod
ad necessitatem exirendi sumendumque in rebus arduis Consilium, spectat, Regibus, ac Prin-
cipibus proponi suaderique oportere, necessarium existimavimus. Qui ut omnes uno ore Politi-
ci (c) tradunt, ne prudentia quidem nomine digni erunt, si hac præcipua hujus virtutis parte,
qua in appetitu acquisitivo alienorum judiciorum consistit, destituantur, & de seipsis ita presu-
mant, ut ne agnoscant quidem, non minus certum, quam vulgatum illud Taciti (d) esse: Prin-
cipem sua scientia non posse cuncta completi: nec unius mentem esse tante molis capace. Cui
miris Livius (e) arridet, dum dixit: Si de sua unius sententia omnia geret, superbum bunc judi-
cabo magis quam sapientem, universaque Rempublicam temeritate sua perdet.

3 Et Cassiodorus (f), de prudentia, de qua nos loquimur, agens, & sic elegantissime &
verissime inquietus; Magna est enim infinitaque Prudentia, quam nemo sic assequitur, ut eam non

II

(a) Auson. in gripho ternario.
(b) Synes. in orat. de Regn.
(c) Pet. Gregor. de Rep. lib. 24. cap. 7. Contz. lib. 7.

pol. cap. 13. Cochier. in thesaur. Aphorism. polit. cap. 23.
Marq. lib. 2. cap. 18. Navarrete disc. 1. à pag. 25. Bo-

badil. in Polit. lib. 2. cap. 6. ex num. 6. plenè Ego 1. tom.

lib. 3. cap. 2. ex num. 4. & 2. tom. lib. 4. cap. 9. ex num. 38.

(d) Tacit. 1. & 4. Annal.

(e) Livius. lib. 44.

(f) Cassiod. lib. 8. epist. 9.

necessariè , & per alios querere videatur. Et iterum sub Athalarici Regis persona , Patricium rebus bellicis præficiens , eique literatum Consiliarium associantis : Perfectionem necessariam rerum completam esse judicamus , si quemadmodum eligendo virum magnificum Patrium , armatæ Republicæ parti providemus , ita & de sociando ei literarum peritissimo , consulamus. Decet enim tractatores habere doctissimos , quibus potestas summa committitur : & de generali securitate sollicitudo , talis associandus fuit , qui parem in suis studiis non baberet.

4 Dicitur autem , secundum Festum (g) , non à consulendo consilium , nam potius nomen hoc illi verbo originem præbuit , sed à Consalio , quod scilicet in unam sententiam plures mentes , seu plurium rationes , consaliunt , id est , simul saliant , & quasi ad unum concentum convenient . Et cum ad privata dirigitur commoda , definiri potest (b) , Inquisito ejus quod in rebus propriis sit utile ad optatum finem consequendum. Ubi vero de Regis , publicisque negotiis tractatur , quoniam hoc sepius solet per plurimos expediti , à Politicis (i) communiter definitur : Selectorum virorum legitima congregatio , sive cœtus , qui Principi suo , quomodo Respublica belli seu pacis tempore administranda sit , consulunt.

5 Quanta autem ejus utilitas , & necessitas sit , frustra nostram comprobationem desiderabit ; cum vel Aristotele (k) docente didicerimus : Consiliari , eorum que inter homines , divinissimum esse : & tam ex sacris (l) , quam ex profanis literis in Proverbium (m) abierit , Qui sapiens est , audit consilia . Consilium in omni præcepto negotio . Consilium custodiet te . Ibi salus , ubi multa consilia . Multitudo sapientum sanitas est orbi terrarum . Post factum non penitebit , qui ante factum consultit . Ante omnem aclum consilium stabile , & consilium rem sacram esse .

6 Et adeo verum etiam delusa falsorum Deorum cultu Gentilitas censuit , ut licet non ignoraret , Deum alienis consiliis non indigere , magnum suum adhuc Jovem , quem aliorum Praesidem , patremque faciebant , & Archiceraunum , vel Argiceraunum vocabant , hoc est Fulminatorem , & Tonantem , quod soli ipsi potestas jaculandi in homines fulmina , terrasque eis terrendi , ac torrendi , concessa fuisset , ut ex Cicerone , & aliis , latè tradit Lilius Giraldus (n) , & Commentatores in illud Horatii (o) :

Nec fulminantis magna Jovis manus .

Et Virgili (p) :

Ipse Pater medio nimborum , in nocte cornsca
Fulmina molitur dextra .

7 Adhuc tamen eam sibi legem imponere voluisse dicenter , quod tametsi leviora , sive levata & pacata fulmina , solus emitteret , & aliquantulum nociva , duodecim Diis in consilium vocatis . Numquam tamen eadem ipsa perniciosa , & ad puniendo homines , vastandum vè , aut mutandum privatum publicum vè rerum statum , jacularetur , quin prius omnes Deos , quos Superiores , & Involutos , sive Consententes dicebant (quorum nomina Rosinus , & Dempsterus (q) recentes) ad hoc supplicium exercendum vocaret , atque consuleret .

8 Quod recolens Seneca (r) , & si figmentum esse cognoscat , Mythologicè tamen in id tendere tradit : Quia Jovem , id est , Regem , prodesse etiam solum oportet , nocere non , nisi cum pluribus visum est . Discant hoc ti , quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt , sine consilio nec fulmen quidem mitti : advocent , considerent mutorum sententias , placita temperent , & hoc sibi proponant , ubi aliquid percuti debet , ne Jovi quidem suum satis esse consilium .

9 Qui plane locus nostro huic Emblemati ansam justissimè præbuit , est enim dignus , ut non solum æneis , verum & aureis laminis insculpatur . Et licet hoc simili , tanto Auctore celato , alii (s) usi fuerint , Nosterque Eusebius Neriemburgius (t) , ad ipsum alludens , in suis Gnomoglyphicis dixerit :

In consulta cavit jaculari fulmina , sœvus
Nec nisi consilio fulgorat Altiopotens .

10 Et Balthasar de Bias (u) in suis Sylvis elegantissime :

In superos bellum cum conjurata Gigantum

(g) Festus hoc verbo , & Fungos . in etymol . ibid .

(h) Cicer . lib . 1 . Rhetor . Div . Thom . 2 . 2 . quest . 52 .

art . 2 . Damascen . lib . 3 . cap . 33 .

(i) Bodin . lib . 3 . de Republ . cap . 1 . Hip . à Col . lib .

de Consil . fol . 217 . Ceriol . eodem tract . cap . 1 . Coning .

in Theat . polit . 2 . part . cap . 26 . num . 2 .

(k) Aristot . in Rhet . ad Alexand . Salust . in orat . ad Caesar .

(l) Sap . 6 . 26 . Proverb . 2 . 11 . & 12 . Eccles . 32 .

(m) Erasm . in Adag . Res sacra Consilium , pag . 128 .

(n) Girald . de Diis Gentil . synt . 2 . pag . 78 . Pierius

fol . 324 .

(o) Horat . 3 . carm . od . 3 . latè & optimè nostri Dom . Didac . Salcedo Coronel in notis ad Gongor . 2 . tom . 2 . part .

Pag . 454 .

(p) Virg . 1 . Georg .

(q) Rosin . & Dempst . lib . 2 . ante Roman . cap . 3 . ex

Pag . 47 .

(r) Senec . lib . 2 . natur . quest . cap . 43 .

(s) Petr . Matth . in suis narrat . lib . 3 . Saaved . in Id . po-

lit . pag . 418 .

(t) Euseb . Nieremb . in Theopb . pag . 552 . Idem Gnom .

40 . sub tit . Difficulter savendum .

(u) Balthas . Bias sylva 10 . in princip .

Turba tulit , cœlisque metum jam Taurus , & Othrys ,
Et super ingestis inferret montibus Oete
Non Trinacrius sudata tronitrua flammis
Vibravit sine lege Tonans , quibus Ossa superbis
Pressa jugis , ferus Enceladus , Pangæaque saxa ,
Corruerentque mine ; non omnes solus iu iras
Irruit , & vanè fugit molinina Phlegre ;
Consuluit Superos , & Majestati volenti ,
Quod plures sensere probat , &c .

11 Cum tamen pulchri nulla unquam satietas sit , & pictura , ut Horatius (x) ait :
Judicis argutum que non formidat acumen ,
Hæc placuit semel , hac decies repetita placebit .

Puto me rem gratam lectoribus facere , dum illud ipsum dilucidius hisce meis commentariis intersero , Ethnici Senecæ doctrinam certiore , & piorem efficiens , si relictis fabulis attendamus , Deum nostrum verum , & Omniscium , quamvis ad Mundi , & aliarum creaturarum formatio- nem , de se , & per se solus loquutus , atque operatus à Moyse (y) dicatur , homo .

Ex Ovidius (z) :

Sanctius his animal , mentisque capacius altæ ,
Deerat adhuc , & quod dominari inter cetera posset .

Ad quem formandum , ubi se accingere voluit , in plurali numero dixit (a) : Faciamus bōminem ad imaginem , & similitudinem nostram ; quasi alios , ut Rupertus (b) ait , ad tanti operis excellentiam consultans , atque deliberans . Qui à Rabini Angelii fuisse perhibentur , quorum tamem deliramenta rejiciens Div . Chrysostomus (c) , Apostolicas constitutiones sequutus , unigenitum ipsius Dei Filium , Patri equalē secundum substantiam , consultatum sive associatum fuisse inquit , qui à Divo Joanne (d) Magni Consilii Angelus appellatur . Et alii Sancti Patres (e) , Spiritum quoque Sanctum adjungunt , ut Collegas suæ potentiae , & divinitatis nimirum coæquales ; & sic eo loci mysterium Sanctæ Trinitatis indicari testantur .

12 Ipse quoque Christus solus , quem nihil fugit , licet non egeret consilio , illud tamen petere præ se tulit , quando Apostolos suos (f) : Unde ememus panes ? rogavit .

13 Addo & Salomonem , licet cœlitus infusam sapientiam habere meruerit , ut in libro Regum (g) babetur , adhuc tamen assistrices sibi , & prudentes Consiliarios habuisse , & habere desiderasse , ut pluribus ostendit Joannes Pineda (b) .

14 Ut omitam , quæ Lorinus (i) , Coningus (k) , & alii (l) de Julio Cæsare , Augusto , Ti- berio , Nerva , Adriano , Marco Antonio , Alexandro Severo , & aliis Romanis Imperatoribus tradunt , qui licet in se laudatissimi & prudentissimi fuerint , quo tamen magis sapientia abundarunt , eò minus sibi tribuerunt , pluribus Consiliariis , iisque egregiis , & dissertissimis in rebus bellicis , vel civilibus , juxta earum qualitatem , adhibitis , eisque tantum deferentes , ut jucidium proprium eorum iudicio subponerent .

15 A quibus non absuit Assuerus , de quo sacra Pagina (m) inquit : Interrogabit Sapientes , qui ex more Regio semper ei aderant , & illorum faciebat cuncta consilio . Darius , qui tot Zopiros , hoc est , Prudentes fidosios Consiliarios sibi exoptabat , quot grana insunt Punico malo , & Homerus (n) , qui Agamemnonem Regem inducit , unum Nestorem , ob præclaram in consiliis prudentiam , decem Ajaci similibus preferentem . Et iterum eidem suadet , hanc Consiliatricem virtutem Regis Sceptris esse conjunctam , sive connatam , sic in quiens :

Atrida Danaon fortissime , Rex Aganenion ,
A te principium sermonis sumam , & in te
Desinere est animus ; quoniam tu pluribus unus
Imperitas , populosque Regis . Tibi sceptra ferenda

(x) Horat . in art . Poetic . ante fin .

(y) Genes . 1 .

(z) Ovid . 1 . Metam .

(a) Genes . 1 . 26 .

(b) Rupert . lib . 1 . in Genes . cap . 1 .

(c) Div . Chrysost . hom . 8 . in Genes . post D . Clem . lib .

5 . const . Apost . cap . 6 . & lib . 8 . cap . 12 .

(d) Apocal . cap .

(e) Basil . Theodor . Cyril . & alii apud Deli . sup .

Genes . cap . 1 . pag . 69 . num . 101 .

(f) Joan . 6 . 5 . 6 .

(g) Reg . 3 . 3 .

(h) Pineda de reb . Salom . lib . 3 . cap . 9 . pag . 111 .

Antimach . lib . 1 . Theor . 1 .

(i) Lorin . Sap . 6 . 26 .

(k) Coning . in Theat . polit . 2 . part . cap . 26 . pag . 185 .

(l) Beyerlin . verb . Consilium , pag . 404 . H . Saaved .

in Id . polit . pag . 402 .

(m) Esther . cap . 1 . 13 .

(n) Homer . Iliad . 7 .

Jupiter ipse dedit, qui nobis omnibus esses
Consilii Dux, & rebus; quapropter & ipsum
Te decet, & multos audire, & dicere multa,
Cedere deinde locum verba opportuna volenti
Dicere, & utilibus pensare negotia dictis,
Et que suni meliora sequi, nec fidere soli
Ipse tibi.

16 Ad quem fortè locum respiciens Dionysius Halicarnaseus (o) Reges (inquit) olim, & quotquot à patre traditum Regnum accepissent, & quos ipsa plebs sibi Principes constituisset, Consilium babuisse, quod ex optimatibus constabat, ut Homerus, & antiquissimi Poetae testantur. Neque, ut nostro seculo, Regum priscorum dominatum fuisse nimium sui juris, neque ab unius sententia pendisse.

17 Quod Theodosius & Valentinianus Augusti (p), humanum etiam esse censuerunt, eam sibi ultra legem imponentes, ut nulla in posterum ab eorum Clementia promulgaretur, quæ prius à gloriosissimo cœtu Palatii Procerum, Patrumque conscriptorum, tractata, & approbata non fuisset, hanc rationem redentes: Benè enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad Beatitudinem nostri Imperii, & ad nostram gloriam redundare.

18 In quo Probum Imperatorem sequiti videntur, qui Flavio Vopisco (q) testante, leges quascumque ederet, propriis Senatus-Consultis consecati voluit. Quem morem jam Claudianni (r) tempore veterem fuisse, ex ipsis versibus patet, in quibus de Honorio agens, sic inquit:

Hic est ille puer, qui nunc ad rostra Quirites
Evocat, & solo fultus genitoris eburno
Gestarum Patribus causas ex ordine rerum
Eventusque refert: veterumque exempla secutus
Digerit Imperii sub judge facta Senatu.

19 Et haec nimur leges, sanctiones Pragmaticæ dicebantur, ut Brisonius, & alii (s) observant, inde fortè deducto vocabulo, quod Pragmaticis, sive viris rerum forensium peritis, in Consilium vocatis, publicarentur. Quorum item frequenæ ac provida in rebus gravibus consultatio occasione præbuit, ut ipsi Imperatores, aliisque cordati Reges & Principes, qui hanc formam in expediendis suis negotiis observant, omnia jura in sui pectoris scrinio habere dicantur (t), habita scilicet contemplatione, peritissimorum Consiliariorum, quos secum semper habere solent, & debent, ut Abbas Panormitanus, & alii (u) passim Doctores animadvertis.

20 Quod quidem, nullibi gentium majori studio curatur legimus, quam in nostra Hispaniae Regnis, gloriosissimis ipsis Regibus, pariter Potentibus, ac Catholicis, per varias Senatus classes, amplissimi sui Imperii negotia omnia, tam belli, quam pacis, distribuentibus, ita ut nihil sit grave, quod non prius cum selectissimis omnium ordinum viris pro rerum conditione communicent, consulantque, & juxta eorumdem consultationes expediant.

21 Qua in re latius calamum excurrere sincerem, nisi jam id ab aliis tam nostris, quam exteris Scriptoribus (x) distinctè tractatum, & plenè laudatum supraquæ omnem Romanorum industria sublimatum, animadverterem. Qui tamen meminisse potuerunt Concilii Toletani IV. (y) ubi hoc, non solum in vim moniti, sed præcepti, eisdem nostris Regibus his verbis injungitur: Ne quisquam vestrum solus in causis capitum, aut rerum sententiam ferat: sed consensu publico, cum rectoribus ex judicio manifesto delinquentium culpa patescat; servata vobis in offendis mansuetudine, ut non severitate magis in illis, quam indulgentia pollatis: ut dum omnia haec, Autore Deo, pio à vobis moderamine conservantur, & Reges in populis, & populi in Regibus, & Deus in utrisque lœtetur, &c.

22 Et Theodorici Gothorum nostrorum Regis, apud Cassiodorum (z), ita rescribentis: Deliberationis nostræ consilium, virorum prudentium requirit obsequium, ut utilitatis publicæ ratio, sapientum ministerio compleatur.

Quod,

(o) Dion. Halic. lib. 2.

(p) Theod. & Valent. AA. in leg. hum. C. de legib. Pet. Fab. 1. semest. cap. fin. pag. 199. & seqq. Anton. Rob. 2. rer. judic. cap. 11.

(q) Vopisc. in Probo.

(r) Claud. in 6. Cons. Honor.

(t) Briss. Calin. & alii de verb. jur. verb. Pragmatica Mornatius in notis ad C. pag. 3. Mat. Steph. ad Novel. 105. num. 8.

(u) L. omnium, C. de testam. leg. penult. C. de iis que ut indign. cap. 1. de constit. cum aliis.

(a) Panor. in cap. tum ex literis de in integr. restit. & alii apud Me ipsum 1. tom. lib. 2. cap. 24. num. 97. & in tract. de praeced. num. 6.

(x) Contz. lib. 7. polit. cap. 13. §. 12. Paleot. de Sac. Consist. consult. pag. 273. Borrel. de præst. Reg. Cathol. cap. 66. Navarret. in disc. polit. cap. 2. & 3. Ego dict. 1. tom. lib. 3. cap. 2. ex num. 1. & 2. tom. lib. 6. cap. 12. Dom. Joseph. Vela dissert. 3. num. 27.

(y) Concil. Tolet. III. apud Loaisam.
(z) Cassiod. lib. 2. epis. 6.

23 Quod Rex Sapiens Alfonso inter suas septem Partitas leges (a) magistraliter extulit, in quibus cum Seneca: Que uno de los sesos que ome mejor puede aver, es de consejarse sobre todos los fechos que quiere hacer, ante que los comience. Et postquam hujus sententia rationes reddidit, & boni Consilii, ac Consiliari munus partesque descriptis, & cur oculis comparentur, sic finit: Onde en todas guisas ha menester que el Rey aya buenos Consejeros, è sean sus amigos, è omes de gran seso, è de gran poridad.

24 Et iterum alia in lege (b) sic habet: El señor no quiere compañero, ni lo ha menester, como quiera que en todas guisas conviene que aya omes buenos, è sabidores, que le aconsejen, è le ayuden. Et in alia (c); Onde si todo ome debe trabajar de aver Consejeros, mucho mas lo debe hacer el Rei.

25 Cujus doctrinæ æquè conscientius Alfonso XI. in Curiis Matritensis dixit (d): Digna action es de la Real magnificencia, tener segun su loable costumbre Varones de Consejo cerca de sí, y ordenar todas las cosas por sus consejos; porque si todo ome debe trabajar de aver Consejeros, mucho mas lo debe hacer el Rei, Aragonius Rex Dominus Joannes II. apud Marianam (e), morti jam proximus, Catholicis Hispania Regibus suis filiis hoc Monitum, veluti in amoris pignus, pretiosumque legatum, reliquit; Que ninguna cosa biciesen sin consejo de Varones virtuosos, y prudentes.

26 Prudentissime quidem omnes, nam, ut præter suprà relatos Neothericus quidam (f) scribit:

Regia virtus

Sit quamvis satis ipsa sibi, tamen insitus error
Rebus inest, qui sepè vias obcludit ad illa,
Que ratio facienda jubet, nec sufficit una
Mens operi, seu nostra velit suadere voluntas,
Quod sentit, seu sit melius se credere multis,
Consilio fit res, indigestosque laborum
Ordinat eventus maturi cura Senatus.
Quid Sceptrum nisi pondus iners, & vanus avarus
Majestatis bonos, si non cum lege regatur
Consilii, teneantque Patrium decreta secures?
Non Reges diadema facit, trabeaque madentes
Morice; fida facit consultis curia rebus:
Et licet agnoscas, quād sit tranquilla potentis
Vis animi, certusque tuis tractatibus ordo,
Sufficietasque; tibi tamen inconsulta potestas
Nil pergit, paretque lubens, quibus optima sensit
Pars melior, nulloque levis terrore moveri,
Nec nova mirari facilis, constantius heres,
Et rata fixa jubes, nec te tua sola voluntas,
Quamvis aqua, trahit, consultantemque veretur,
Quem sibi præfecit, &c.

27 Unde Hebrais idem sonat Consilium, quod Fundamentum, ut benè Lorinus (g) considerat. Ruat quippe necesse est, omnis sine consilio Republica, omniumque suffragio damnatus fuit Cæsar, quod nec in dictatura, nec in Consulatu, consilio Senatus usus. Nero, qui Senatum capitaliter oderat, & Hiero Sicilia Tyrannus, qui testante Livio (b), nulla de re convokebat, vel consuluit publicum Consilium.

28 In quibus quidem referendis, idcirco paulò longius, quam res ipsa (meo judicio) deposita, insistere volui, ut facilius impii Machiavelli (i), suique sectatoris Joannis Bodini (k), impia & væcordia Theoremata convincantur, qui minimè necessarium, quin potius superfluum, & rebus gerendis impedimento sum, ausi sunt affirmare, Supremos Principes, his Parastis, Adjutoribus, sive Consultoribus indigere. Nam si sapiens est, inquietus, ex ipsis Principis mente, ac prudenter, bona, & opportuna consilia nasci debent: sin autem insipiens, ei facile consilia, quamvis recta, & salutaria dari suaderiè non possint, cum ejusmodi genus hominum,

(a) L. 5. tit. 9. part. 2.

(b) L. 1. codem tit. 9. part. 2.

(c) L. 2. codem tit. 9. part.

(d) Cortes de Madrid apud Saaved. in Id. pol. pag. 402.

(e) Marian. hist. Hisp. lib. 23.

(f) Bias in sylva 10. pag. 315.

(g) Lorin. in Sapient. cap. 6. vers. 2. pag. 167.

(h) Livius lib. 4. 2. bell. Punic.

(i) Machiav. in tract. de Princip. cap. 23.

(k) Bodin. 3. de Repub. cap. 1. & alii apud Berneg.

in quart. 52. ad Tacit. de morib. carm. ubi de hoc dispa-

rate audet.

de se plus multò, quām de ceteris fidat, atque prāsumat, & æquè suorum, atque exterorum fidem suspectam habeat, illudque Comici (*l*) certum esse demonstreret:

Hominē imperito numquam quidquam injustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Et Seneca (*m*): *Omnis stultitia laborat fastidio sui: nisi sapienti sua non placent.*

29 Hac etenim absurdā, perversaque dogmata, satis jam ab aliis (*n*) convicta reperiuntur, & vel tacentibus omnibus, se ipsa facilē produnt, intelligendoque faciunt, ut eorum Assertores nihil intelligere videantur. Etenim si prudens sapiens Princeps contingat, eo sapientior & prudentior erit, si (ut jam suprā diximus) de se omnia non prāsumat, & illud Ecclesiastici (*o*) observet: *Audiendo sapiens, sapientior erit;* & Euripidis, *Rex sapiens sapientum commercio, agnoscatque cum Hieronymo Ossorio (*p*), uno tantū ingenio cuncta, quæ sunt Regibus excogienda, provideri, aut unius oculis omnia, quæ sunt in Republica diligenter speculanda, cerni, comprehendendi, & ad destinatum exitum perduci non posse. Cogitationesque quorumlibet, etiam cordatissimorum hominum, ut Salomon (*q*) docuit, consiliis roborari gubernaculis, bella esse tractanda; & è contrario dissipari, ubi hec à pluribus non peruntur, nec frustra ex Euripidis disciplina Adagium (*r*) fluxisse: *Vir unus baud videt omnia, unus vir nullus vir.**

30 Quod, cum ad varios usus deflecti possit, ad nullum commodius, quām ad judicium in rebus arduis haud quamvis uni soli committendum, vel deferendum; cum vel jure ipso (*s*) docente discamus, perfectissimam veritatem per plurim oculos facilius inveniri, ac securius manifestari, & ne locum quidem insidiis relinquere in iis, quæ multis sunt oculis spectata, multis insinuata sensibus, multis insuper in tuto locata manibus.

31 Addo & Homerū (*t*), apud quem Diomedes ab Agamemnone missus, ut Trojanorum castra exploraret, sibi socium exposcit Ulyssem, sic inquiens:

Si modo consilii comitem; sociumque laboris,
Des aliquem, nam major adest, & plena duobus
Pectoris, atque animi præstantia, &c.
At qui solus erit, si forte quid utile rebus
Cogitet, inceniatque, animo perspice labanti
Deficit, & timidum fugit omnis consilii vis.

Ex quo monito, sive exemplo Alciatus (*u*) nobile illud Emblema construxit, quo unum nihil, duos plurimum, se ita mutuè juvantes, possem his elegantissimis ostendit carminibus:

Laerte genitum, genitum quoque Tydeos inā
Hac cera expressit Zenalis apta manus:
Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis,
Nec tanen alterius non eget alter ope.
Cum duo conjuncti veniunt, vicitoria certa est.
Solan mens hominem, dextræ destituit.

Et ex Nostro Celada (*x*): *Illum præstare in arte gubernandi, & ceteris Sapientiorem esse, cui est cor audiens, & cor docile, non cui inest ferreum ingenium, & pertinax ratio.*

32 Unde Valerius Maximus (*y*), de Xerxe sermonem faciens, cuius, inquit, nomen superbiā, & impotentiam indicabat, merito in dubium vocat, insolentius ne, an imprudentius se haberet, cum Græcia indicturus bellum, adhibitis Asia Principibus, dixit: *Ne videar me tantummodo usus consilio, vos contraxi, ceterum mementote parendum magis vobis, quām suadendum.*

33 Ad id autem quod subditur, de difficultate recti consilii imperitis, ac ferocientibus Regibus suadendi, fateor quidem aliquos ea vel philautia, vel mentis inopia esse, ut sua sententia omnia agere velint, & proprie sapientiae opinione excæcati, illud Senecæ (*z*) verum reddant,

Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua caput ire, Regia didici mea.

Et

- (*l*) Terent. in Adelph.
- (*m*) Senec. epist. 9.
- (*n*) Antimach. lib. 1. Theod. 1. Coming. 2. part. cap. 26.
- Andr. Rey in tract. de Consil. & Consult. discurs. 1.
- (*o*) Eccles. 1. 5.
- (*p*) Ossor. de Regis institut.
- (*q*) Proverb. 15. 22. 20. 18. 24. 6.
- (*r*) Erasm. in hoc Adag. pag. 115.

- (*g*) Cap. prudentiam 21. de off. deleg. leg. fin. C. de fideicom. I. hac consult. in fine, C. qui testam. facer. poss. cum alibi.
- (*i*) Homer. Illiad. 10. vers. 223.
- (*w*) Alciat. Embl. 41.
- (*x*) Celada in 1. Judit. num. 68.
- (*y*) Valer. Max. lib. 9. cap. 5. §. 12.
- (*z*) Senec. in Medea.

Et iterum (*a*).

Nec me fugit, quād duras, & veri insolens,
Ad recta flæcti Regius nolit tumor.

Solent enim sæpè, ut Ammianus Marcellinus (*b*) scribit, manū injectantibus fatis, hebetari sensus hominum, & obtundi, & Deus, Reges quos punire vult, in manu pessimi sui consilii sæpè relinquit, de quo pluribus Philippus Camerarius (*c*) novissimè disserit, & Ovidius egit dum dixit (*d*):

Crede mihi miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consilionque fugit.

34 Ceterum Nos non de monstris ejusmodi agimus (*e*) sed cum Regibus, & de Regibus loquimur, qui vel hoc nomine digni sunt, vel se eodem, quo meliori possunt modo, dignos redere volunt. Hoc est, prudentum, sapientiumque virorum consilii utendo, quamvis ipsi per se, non summè prudentes, sagaces, & rerum agendarum experientiis suffulti, reperiantur.

Quippe ut Sidonius (*f*) ait: *Satis eminet ingenii proprii meritis, qui fuerit fautor alieni;* ac secundum Q. Curtium (*g*): *Natura mortalium hoc quoque nomine prava, & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio bebetior est, quād in alieno. Turba sunt consilia eorum, qui sibi suadent.*

35 Et hoc consulendi studium est vinculum, per quod Respublica cohæret; hoc spiritus ille vitalis (Seneca (*h*) verbis utor) querit tot milia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi unus & præda, si mens illa Imperii subtrahatur. Hesiodeque docente (*i*):

Optimus hic, se se, qui novit cuncta, magistro
Prospiciens rerum fines: meliora sequutus.
Dignum laude virum parentem recta monenti
Credemus; ille tanen, qui non sibi consulit, & quib
Alterius precepta fugit, vir inutilis ille est.

36 Quod Titus etiam Livius (*k*) sub persona Fabii sic dixit: *Sepè Ego audivi, Milites, Primum eum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit; secundum eum, qui bene monenti obediat. Qui nec ipse consulat, nec alteri parat se, extremi esse ingeni.* Et valde ad rem nostram Themistis (*l*) Constantiū Imperatorem ad hanc virtutem petendi consiliū, & parenti recte consultantibus hortans, nullam magis Regiam ex Zenonis doctrina esse inquit, adducto dicto Hesiodi carmine, & ita subjungens: *Neque enim fieri potest, ut Imperator unus, etiam si maximè divinus existat, tot curis prefatus, in omnibus, quod expediat, assequatur. Ceterum si illud, quod dico, parenti, obsequendique in se munus habeat, corrugare à multis poterit, que multitudo negotiorum omnia à se habere non permittit.*

Pluribus inter se rem consultare paratis,
Huic pare, melior cui stat sententia menti.

37 Qua in ultima classe fuisse legitur Justinianus II. dum sexdecim natus annos, ut narrat Cuspinianus (*m*), Imperium adeptus, propriis consiliis illud regere voluit, & maxima incommoda Romano nomini atulit. Neque enim frustra Cassiodorus (*n*) scripsit: *Hoc est profectō difficillimum regnandi genus, exercere Juvenem in suis sensibus Principatum; rarum omnino bonum est Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida etate, ad quod vix creditur cana prudentia pervenire.*

38 Eademque Stultitia à Nicephoro Gregorā (*o*) in Andronico Juniore notata fuit, qui patriter nullius consilium admittebat, sui unius sententia, & scientia insistens. Et Sigibertum Angliae Regem, ut Polidorus (*p*) narrat, ac Bajacetum Turcarum Regem, ut Chalcocondylas (*q*), in pernicie deduxit. Joannes quoque Magnus (*r*) de Botildo Suenorum Rege commemorat, naval expeditione infeliciter gesta, in hæc verba prorupisse: *Enim verò nimis diu oblitus sum Procerum meorum consilia audire, cuius obliviosi pœnas nunc do.*

39 Cum ex adverso, plures alios Reges extitisse legamus, qui licet non adeò essent prudē-

(*a*) Idem in Hypoll. *honestum ut mundi ob servari* (*b*) Tit. Liv. lib. 22.

(*b*) Ammian. Marc. lib. 14. ab rebus Hispanis (*c*) Themist. orat. 6.

(*c*) Camerat. cent. 1. subcess. cap. 1. & 3. cap. 20. & 21.

(*d*) Ovid. lib. 4. de Ponto, Eleg. 12. amissori (*e*) Tacit. 15. Anual. 11. tria. 8. ad bohem. (*f*) Sidon. lib. 5. epist. 12. ad Aem. 36. & 37. (*g*) Curtius lib. 8. 1. ad res ad nos. (*h*) Polyd. lib. 4.

(*i*) Joan. Mag. lib. 28.

(*j*) Chalcocond. lib. 3. ad res ad nos. (*k*) Joan. Mag. lib. 28.

(*l*) Hesiod. in Ergit.

dentes, tamen consiliis agnati alicuius, aut virorum probitate, & prudentia illustrum, fælicis. simè gubernaverint, quorum copiosam nomenclaturam Anti-Machiavellus (s), & alii (t) nobis exhibuerunt, & pro multis doceri potest, vel ex solo exemplo Joas, qui, ut sacra P. gina (u) peribet, & si septem solum modo annorum esset, cum regnare coepit, interim tamen egregie Regnum administravit, quia Jojadæ summi Sacerdotis, aliorumque optimatum Consiliis usus est, iisque obtemperavit.

40 Idemque, Annales Romani (x), de primis annis Imperii Neroris scribunt, dum Seneca ac Burrhi monitis paruit: de Gordiano undecim annos nato, ad Imperium evecto, & Misithæ socii consiliis adiuto. De Theodosio Arcadii filio, sub mammis adhuc existente, Imperii hærede reliquo, & Isdigetis Regis Persarum cura à patre commisso.

41 Et qui voluerit copiosum Catalogum aliorum omnium nationum Regum, in tenera ætate sub proborum curatorum, ac Consiliariorum directione Regna sua feliciter moderantium, adire poterit, atque aperire refertissimam penum doctissimi nostri, & mihi à primis ferè incunabulis dilectissimi D. Joan. Baptiste Valenzuela (y) Velazquez, post varios dignitatum gradus, propria virtute, & literis partis, in Salmanticensem Episcopatum evecti, inibique (heu) nuper defuncti, ubi ex nostris Hispanias Regibus Alfonsum Aragonum, & Jacobum I. recenset, & Alfonsum IV. & VIII. Henricum I. & III. Ferdinandum IV. Alfonsum XI. & Joannem II. in quo observando, educando, ejusque Regno benè administrando, summa fides & prudentia Ferdinandi Infantis patrii ejus enuit.

42 Meminisseque etiam potuit Invictissimi Nostri Regis Imperatoris Caroli V. Maximi, qui anno xvii. regnare coepit, & D. D. Philippi IV. nunc Dei benignitate regnantis, qui nondum completo xvi. tanti Imperii habendas assumpsit, & cum gloriose memoriæ D. Philippus III. ejus Pater, in extremis constitutus esset, & Proceres Consilii Status convenienter, ut quid in Regni moderatione agendum esset, discuterent, aulam, ubi convenierant, ingressus, illis dixisse fertur: (z) Que no se embarazasen en tales platicas, que si Dios se sirviese de llevar de esta vida al Rei su Padre, y Señor, è quedaba por Rei, y ellos harian lo que él les mandasse.

43 Ejusdemque doctrina veritatem agnovit, & exemplo Regis nostri Henrici III. comprobavit Ferdinandus Pérez de Guzman (a), inquiens, quid licet hic Rex, ob corporis ægritudinem, nec valde præstantem mentis habituidinem, minus idoneus ad tanti Regni gubernationem videri potuit, adhuc tamen: Alcanzò discretionem para conoçer, y elegir buenas personas para el su Consejo: lo qual no es pequeña virtud para el Principe; è así con tales maneras tenia su bacienda bien ordenada, y el Reino pacifico, i sosegado. E que à los Reyes menos seso, i esfuerzo les bas-ta para regir, que à otros hombres, porque de muchos sabios pueden aver consejo, è su poder es tan grande, especialmente de los Reyes de Castilla, que con poca bombreda que tengan, serán muy temidos, tanto, que ellos ayán ende su presuncion, i no se dexen governar de otros.

44 Neque his obstare quis putet Apophategna illud sapientissimi Alfonsi Aragonum I. ab Antonio Panormitanico (b) relatum, quatenus dicere solitus erat: Absurdum esse Reges ab aliis regi, & Duces ab aliis duci. His quippe verbis, haud quamquam Consiliorum, & Consiliariorum utilitatem, necessitatemque negavit, qua nihil de Regia dignitate, ac Majestate diminuit, cum Reges non cogat; sed dirigat, ipsisque postea, auditis, pensatisque omnibus, liberum sit, quod optimum factu videbitur facere: Dum (Cassiodoro (c) testante) omnibus utile est judicium Principis sequi, & ipse facit propria, qui gratarter suscipit aliena. Et ut alibi Valentianus, & Theodosius Augusti (d) describunt: Non minus plenam gratiam mereatur, qui præstanda suggestum, quāq; suggesta concedat, unum prouidi judicis est, alterum munificentie principalis. Quibus modernus quidam Scriptor (e) adridet, sic inquiens: Nec quicquam præterea glorie Principum decedit, quod res bene gerant aliorum consilii: cum summi etiam gubernatores in magnis tempestibus sèpè à virilibus admoneantur.

45 Quod ergo Alfonsus notare voluit, ad nimiam aliquorum Principum & Magnatum animi demissionem, sive submissionem dirigitur, qui cum Imperii, & Principatus titulum sibi vendicent, alieno tantum consilio, etiam nolentes, reguntur, & à se omnes prorsus Imperii curas abjiciunt, quod quantum Regio muneri noceat, ac detrahatur, jam alio loco (f) probavimus.

Vel

(e) Anti-Machav. dist. lib. 1. cap. 1.

(f) And. Rey, & alii apud Coning. dist. cap. 26.

(g) Lib. 4. Reg. cap. 11.

(h) Petrus Gregorius. de Repub. lib. 26. cap. 5. mu-

(i) Dom. Valenz. consil. 198. ex num. 7. col. 2. vide

etiam Dom. Joseph. Velam disseri. 3. ex num. 12. &

Greg. Lopez in leg. 3. tit. 25. part. 2.

(j) Sup. Embl. 18.

(a) Perez de Lara in Compend. vit. homin. cap. 16. n. 11.

(b) Fernand. Perez de Guzm. en su Mar. de hist. cap.

128. fol. 5t.

(c) Panorm. lib. 2. de dict. & fast. Reg. Alfon.

(d) Cassiod. lib. 8. epist. 11.

(e) Valent. & Theod. in Novel.

(f) Joan. Boch. in hist. in Augur. Albert. & Isabell.

pag. 277.

(g) Sup. Embl. 18.

46 Vel in alios Principes tendit, qui cum in ipsi Senatorum, sive Consiliariorum ceteris praesint, nihil ex proprio Marte dignum Regis sensibus proferunt. Cum tamen juxta Taciti (g) aliorumque monumentum: Ratio & consilium sint propriæ Ducis artes. Et qui summum occupant locum, summa ope nisi debeant, ceteris, ut in aliis, ita & in loquendi, consulendi, prævidendi, ac providendi dexteritate, ac maturitate præcellere. Unde Agesilaus apud Stobæum (h) percontatus, quid Duce bellum præcipue exornaret? Respondit: Adversus hostes audacia, & in oblate opportunitate ratio, & consilium.

Et Rex, Regum omnium sapientissimus, Salomon (i), inter alias causas ob quas valde enixe sapientiam optasse, & à Deo postulasse, commemorat, hanc in primis proponit, ut inter suos Consiliarios inferendis rogandise suffragis acutus, & admirabilis appareret, sic etenim inquit: Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis: & acutu inveniar in iudicio, & in conspectu Potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & loquentum me respicient, & sermocinantem me plura, manus ori suo imponent, &c.

47 Quod si quis adhuc urgeat, eundem Alfonsum, apud eundem Panormitanum (k), hanc consiliandi sedulitatem parvi pendisse videri, dum dixit: Regum Consiliarios, aut Reges esse, aut Regum animos habere oportere. Sic indicans, plurima interdum Consiliariis, privatissime hominibus pro suo captu convenire videri, quæ Reges non deceant, nec nisi Regio spiritu elatis, atque inflatis mentibus dignè possint deliberari. Quod satis ostendit Alexander Magnus, qui, ut Quintus Curtius (l), Valerius Maximus (m), & alii (n) recensent, cum Parmenio in Consilium vocatus, super reddendis Dario uxore, & duabus filiabus, quas captivas habebat, trigesinta milibus auri talentis, quæ pro illis offerebat, acceptis, dixisset, se, si Alexander esset, conditione, offerebatur usurum: ille, cui, ingrata hac oratio fuit, statim respondit: Et ego uterer, si Parmenio essem, & pecuniam quām gloriam mallem; nunc Alexander, de paupertate securus sum, & me non mercatorem memini, sed Regem, captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quām pretio remitteremus.

48 Hoc quidem veritati doctrinæ, quam adstruimus, non repugnat, nam cum sit difficile, ut semper Reges Regibus consulere possint, ad privatos eundem est, inter quos, plures, omnibus seculis reperti sunt, qui recta consilia suis Regibus præbuerunt, Regiosque spiritus imberunt, eti ipsi Reges non essent: Intelligendi quippe natura (ut Symmachus (o) præclarè in quadam epistola inquit) indulgentius patet; aliqui præclara rerum paucis probarentur, si boni cuiusque sensus, etiam ad impares non venirent.

49 Nec minus recte à Livio (p) Salinatore traditum fuit, neminem fidelius dare posse consilium, quām eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuisset: quem locum Erasmus (q) adducere potuit, dum illud Adagium commentatur: Suade, quod ipse facturus essem; ex illo Calypsi carmine sumptum:

Sentio, suadeboque tibi, quibus hand graver uti.
Ipsa, mihi similis si quando occurreret usus.



Kk

EM-

(g) Tacit. lib. 3. hist. & alii apud Cepol. in tract. de Imp. milit. diligend. in princ.

(h) Stob. serm. 1.

(i) Sap. 8. 10. & seqq.

(k) Panorm. lib. 1. ubi vide etiam Eneas Sylvius in notis.

(l) Curtius lib. 4. cap. 26.

(m) Valer. lib. 6. cap. 4. §. 3.

(n) Plutarc. in vita Alex. & in Apoph. lib. 6. cap. 1.

Arrian. lib. 2.

(o) Symmac. in epist.

(p) Tit. Livius lib. 7. decad. 7.

(q) Erasm. in hoc Adagio pag. 128.